



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Idea Theologiæ Specvlativæ

Petrus <a Sancto Josepho>

Coloniæ, 1648

III. De Simplicitate Dei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38884

hæc enim est imperfectio nostri intellectus, non ipsius Dei; sicut & quod alia attributa concipiamus per modum proprietatum ab essentia Dei distinctarum.

CAPVT III.

De Simplicitate Dei.

RESOLVTIO I. *Deus non est corporeus, nec compositus ex materia & forma.*] **PRIMA PARS EST** de fide contra Audianos, seu Antropomorphitas, probaturque primò ex Scriptura, quæ docet simpliciter Deum esse spiritum, & indiuisibilem, lucemque habitare inaccessibilem, ex quibus Patres colligunt, Deum esse formaliter incorporeum, vt etiam statutum est in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. referturque in cap. firmiter de summa Trinitate, & fide Catholica.

Probaturs. quia nullum corpus excogitari potest, quod varijs defectibus non subiaceat, siue quoad conditionem propriæ naturæ & entitatis, quæ est multo imperfectior substantijs spiritualibus; siue quoad modum existendi, nimirum quantitatiue, & in loco determinato; siue quoad vim agendi limitatam ad effectus corporeos, & ad certum spatium: atqui eiusmodi defectus longè alieni sunt à Deo, qui est ens perfectissimum, quo nihil melius, siue quoad naturæ conditionem, siue quoad modum existendi, siue quoad agendi virtutem excogitari potest.

Secunda pars probatur ex iam dictis: materia enim non habet locum nisi in rebus corporeis & quantis: quod si quis Deo gratis affingat materiam aliquam quantitatis expertem, adeoque indiuisibilem quoad partes integrantes, certè talis materia se habebit vt potentia passiuæ respectu formæ, aliàs quo titulo diceretur materia? sicque Deus erit quid compositum ex actu & potentia, adeoque non erit primum ens, quia compositum est posterius partibus componentibus, & ab ijs dependet: nec ens absolutè necessariū, quia

quia non repugnat dissolvi compositum quod ex partibus distinctis coalescit: hinc autem collige fieri non posse quod Deus in compositionem aliorum veniat, sive tanquam materia, sive tanquam forma; unde facile refelli possunt varii errores quorum meminit S. Doct. 1. p. q. 3. art. 3.

Nota, Scripturam sacram quando membra humana, & nomina aliarum rerum corporearum Deo tribuit, metaphoricè intelligendam esse, ut per rerum materialium similitudinem varias Dei perfectiones exprimat, per oculos vim intelligendi, per brachia potentiam exequendi, per leonem fortitudinem, per agnum mansuetudinem, &c. Quare autem scriptura potius tradat nobis divina sub figuris vilium rerum, quam nobilium, vide apud S. Thomam 1. p. q. 1. art. 9. ad 3.

RESOLUTIO II. *Non est in Deo compositio sive ex natura & supposito, sive ex essentia & existentia.*] **NON PRIOR, UT PATET TUM** ex Scriptura & Patribus qui docent Deum esse deitatem, veritatem, bonitatem, &c. adeoque abstracta in Deo prædicari de concretis, quod falsum esset, si illa distinguerentur inter se. **Tum** ex Concilio Rhemensi sub Eugenio III. Ubi teste Bernardo *serm.* 80. in Cant. damnatus est Gilbertus Porretanus Episcopus Pictaviensis, quod negaret propositiones illas, Deus est Deitas, Deus est veritas, &c.

Tum quia non est ponenda in Deo subsistentia aliqua absoluta, sed tantum tres relativiæ, ut suppono ex *lib.* 2. ubi de Trinitate; quòd autem illæ non distinguantur ab essentia, ac proinde cum ea non componant, patet, quia alias in Deo admitti deberet quaternitas rerum ante mentis operationem distinctarum, quod dici non potest.

Non posterior, ut patet ex dictis *capite* 1. Ubi ostendimus existentiam Dei perfectè identificari cum essentia illius, imò esse de conceptu illius quidditativo. Hinc enim sequitur, unam non posse realiter cõ-

B

ponere

ponere cum alia: siquidem compositio aliud nihil est quam distinctorum unio, nullaque assignari potest vera compositio, quando unum extremum perfectè identificatur cum alio, aut est de conceptu essentiali illius.

RESOLUTIO III. *Non est ponenda in Deo compositio, siue ex genere & differentia, siue ex subiecto & accidente.*] NON QUIDEM PRIOR, nam genus univocè prædicatur de pluribus speciebus, Deus autem non potest esse species, quia cum sit ens summè & infinitè perfectum, repugnat esse plures Deos numero distinctos: sic enim unus differret ab alio, adeoque careret perfectione illius, & consequenter non esset summè perfectus, ut rectè argumentatur S. Doctor 1. p. q. 11. art. 8. Nihil etiam datur commune univocum Deo & creaturis, cum Deus sit essentialiter ens independentens & illimitatum, creaturæ verò essentialiter dependentes & limitata. Cum ergo Deus non sit sub genere, non potest componi ex genere & differentia.

Non etiam posterior, tum quia Deus si constaret ex accidentibus, non esset essentialiter infinitè perfectus: jam enim ipsius substantia per aliquid adventitium perficeretur, neque etiam esset immutabilis, quia accidens de se aptum est adesse, vel abesse à subiecto; tum quia si non debet admitti in Deo compositio substantialis, ut visum est, multò minus accidentalis, utpote majorem imperfectionem includens.

Ex dictis collige, Deum esse omnino simplicem, cum omni genere realis compositionis careat, ut hætenus ostensum est. potestque efficaciter confirmari ex capite firmiter de summa Trinitate, ubi id definitum fuit.

* *Dices,* etsi in Deo, ut uno, non sit compositio, est tamen in Deo, ut trino; tum quia quælibet persona cum aliis in aliquo convenit, & in aliquo ab iis distinguitur: tum quia cum tres personæ sint inter se realiter

ter

ter distinctæ, non potest ex iis non oriri realis compositio. *Respondes*, ex neutro capite sequi compositionem in Deo, non ex primo, cum sit summa identitas inter naturam, in qua quælibet persona cum aliis convenit, & personalitatem per quam ab iis distinguitur. Non etiam ex secundo, nam vel personæ considerantur ut sunt unum in essentia, & sic non sunt unum per compositionem, sed per identitatem: vel ut sunt inter se realiter distinctæ, & sic non coalescunt ut unum quid componant, sed sunt tantum plures res simplices; sicut numerus est plures unitates.

CAPUT IV.

De Perfectione & Bonitate Dei.

RESOLUTIO I. *Deus non est tantum perfectus, sed etiam summè perfectus.*] PRIOR PARS PROBATUR: nam perfectum illud dicitur cui nihil deest ad suum complementum naturale. At Deus eadem necessitate qua est ens à se, habet omnem perfectionem sibi connaturaliter debitam, neque ea vi alicujus agentis extrinseci privari potest, sive ex toto, sive ex parte.

Ubi adverte quòd etsi creaturæ dici possint perfectæ, quatenus habent perfectiones ad suum statum connaturalem requisitas, sive eæ ad entitatem spectent, sive ad operationem, sive ad assecutionem finis; Deus tamen in eo genere multò est præfectior, cum prædicta habeat longè nobiliori modo quàm creaturæ, ut notat S. Doct. 1. p. 9. 6. art. 3. In primis enim Deus essentialiter & à se est ens actuale, creaturæ verò sunt dependenter ab agente extrinseco; essentia Dei per seipsam operatur, res autem creatæ per varias potentias & accidentia: Deus tandem per seipsum beatus est, alia verò beatitudinis objectum extra se habent.

Secunda pars ostenditur, quia illud dicitur summè perfectum, cui absolute nulla deest perfectio: at Deo